

CAPUT XX.

Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis locum natalem ostendit.

CUM non omnis ferat omnia tellus, meritò in Cinnabaris mineralis, seu Minii naturalis locum natalem inquirimus. Ex *Hispania* solere Minium deferri *Dioscorides lib. 5. cap. 69.* retulit: Item *Iustinus* Minium à *Minio Hispania* fluvio nuncupatum voluit, cum testibus *Plinio & Trogo* Hispaniâ nulla regio Minii feracior reperiatur, quamvis credibile magis sit, *Minium* fluvium *Hispania* à colore Minii naturalis; quo plurimum exundat, nomen accepisse. Ex *Colcho* afferri divulgavit *Vitruvius Architectur. lib. 7. cap. 8.* Præstantissimum tamen est, quod ex *Sisaponensi* regione in *Betica* advehitur; quapropter legitur apud *Calepinum*, quod *Sisapo*, teste *Plinio hist. nat. lib. 3. cap. 1.* sit oppidum *Hispanie Betica*, miniariis metallis celeberrimum; Minium etenim, afferente *Plinio hist. nat. lib. 33. cap. 7.* ibi non excoquebatur vel perficiebatur, sed vena signata *Romam* afferebatur. *Nasci* in *Carmania Iuba* prodidit, & *Hermogenes* in *Aethiopia*, sed neutro loco ad nos advehitur, nec ferè aliundè, quàm ex *Hispania*. In diversis aliàs reperitur locis, in *Armenia, Carynthia, Ungaria, Palatinatu* prope *Alsheimium*, territorio *Brunsvicensi* zu *Walckenried/Hassia* prope *Marpurgum*. In confiniis *Bohemie* cum auri ramentis lavatur. Ex Comitatu *Schvvarzburgensi* ea quoque speratur. De utraque Cinnabari, quæ tam ex *Ungaria*, quàm *Hassia* adfertur, sic scribit *Joseph. Quercetanus Terr.*

graviss. capit. adfect. cap. 33. Natura nobis in quibusdam aurifodinis in Hungaria profert genus quoddam mineralis Cinnabaris ponderosissima, ac longè artificiali rubicundioris: imò etiam quæ usque adeò transparens ac dilucida est, ut non minoris pretii, at majoris etiam ipso auro æstimetur: quæ per se, & citra ullam preparationem aliam, quam quâ nature coctionibus temperata est, remedium est nobilissimum & admirandarum virium adversus minores epilepsias, aut analepsias, &c. Item: Est & aliud minerale Cinabrium, formam lapidis rubri referens, ponderosissimi, quod variis locis reperitur. Sed apud Marpurgenses ampla, elegans & ferax illius minera est in Hassia. Ex eo Cinnabrio non dubium est, quin possit eo modo, quem describit Dioscorides, & post eum Oribasius, sublimatione Ψ rius extrahi, cujus etiam capax est ipsa fodina, copiosiorque eo modo elicietur à Dioscoride descripto, ex eo minerali Ψ rius, quam ex artificiali. Priorem Ungaricam Cinnabarin mineralem in dubium vocat Andr. Libavius Apocalypf. Hermetic. part. 1. cap. 7. quam non putat esse lapidem argenti vivi, sed Gelfum Ungaricum rubrum, aut venam argenti rudem rubram, translucentem, cujus meminit Matthesius: aut succum mineralem, qui sub titulo Cinnabaris fossilis perspicuæ circumfertur. Zincki speciem aliqui vocant, seu marcasitæ aureæ, &re perspicuo plenæ.

In superiori Germania, ut notat Encellius ex autoritate Cordi ad Rhenum Eberborgi & Sombachimagna Minii copia reperitur. In Misnensibus etiam fodinis vena illius generis Minii observatur, quod olim apud Romanos tanti pretii fuit. Tandem in Hydria monte, ex hydrargyri fodinis Minium erutum vidit Petr. Andr. Matthiolus comm. in lib. 5.

Dioscor. cap. 69. ubi plerumque evenit, ut vulneratâ ferramentis venâ, argentum vivum, fonticuli instar, in substratam defluerit humum. Et *Comm. in cap. 70.* amplissima argenti vivi metalla in *Hydria* monte, qui quadraginta millia passuum à *Goritia* distat, videri scribit, ubi continuo copiosum elicitur è lapide quodam, fragili potius, quàm duro, colore ex nigro rufescente, & ad purpuram quadantenus vergente, ponderoso, plumbi instar, & argento vivo scintillante.

Loca autem Minio redundantia tempore nivium facilè cognoscuntur, dum nives, hujusmodi loca tegentes, rubore inficiuntur; quocirca celebris ille *Homeri* interpretes *Eustachius* quibusdam in locis nives observari rubras asseruit; & indè locus, in quo nives deprehenduntur rubræ, *μιλτώδης* illi dicitur.

C A P U T XXI.

Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis delectum observat.

IN dijudicandis medicinalibus, si de notis bonitatis certiores esse velimus, usus obtinuit, ut ad manus sumamus exemplum quoddam, ad quod, tanquam ad *Lydium* lapidem examinanda examinemus, eaque si bonitate cum exemplo convenient, retineamus, sin minus, aversemur. Hînc cum *Cinnabaris mineralis* sese nobis offert, semper eligenda est ea, quæ gravis & tria & quære, ut partibus ejus componentibus præstantioribus, adeoque *Ungarica*, utpote quæ natura *Olaris*. Eam reliquis præfert *Frid. Hoffmannus Clav. Pharmaceutic. Schroderian.*